

*Historia admirabilis vite secun-
di Pauli, Valentia Apostoli S. Vin-
centij Ferrerij.* Matriti 1682. in
quarto, & post alias editiones, Va-
lentia, Formis Ludovici de la
Marca 1702. in quarto, & rur-
sus Valentia in Typographia Ar-
chiepiscopali 1729. in quarto.

*Historia admirabilis vite Vene-
rabilis Matris & Inchyta Virginis
Rosa de Santa Maria e Tertio Or-
dine S. Dominici.* Matriti in Offi-
cina Pauli del Val 1666. in quar-
to. Iterum ibi, in Typographia
D. Mariae Rey 1669. in quarto.
Rursus ibi Prælo Viduae Didaci
Diaz de la Carrera 1670. in
quarto.

*Vita Fr. Joannis de Vasconcellos
Ordinis Predicatorum.* Matriti,
mox dictis litteris Viduae de la
Carrera 1668.

Quæ sequuntur Author prælo
parata habebat anno 1664. ut,
ipso teste, Galli Critici sapius
laudati dicunt.

*Pharus sacer, Orator Catholicus,
cum additionibus.*

*Historia Darocæ addita & aucta
vitiis trium Ordinis S. Dominici
Sanctorum ejus indigenarum.*

*Historia generalis Ordinis Predi-
catorum ab anno 1373. ad usque
1670. Tomis 6 grandibus.*

*Problemata Aristotelis moralibus
animadversionibus pro exercitio vir-
tutum.*

Relatis hæcenus à nobis ope-
ribus, præter Panegyrim n. 9 si-
gnatam, quæ enarratores latuit
Gallos, ipsi de Nostro subjun-

gunt: *Hic scriptor inter eos sanè re-
censendus est, qui puriori & elegan-
tiori Lingua Hispana scripserunt,
& utinam Annales Ordinis, quos
post Ferdinandum de Castillo scripse-
rat (nam à Joanne de Lopez scri-
ptos ei saltem raione styli ferunt non
placuisse) typis ederentur, præsertim
quæ dicuntur ab eo scripta de Ge-
nealogia S. Dominici ex antiqua stir-
pe Guzmanica.* Hæcenus illi. Qui-
bus subnectimus similia PP. Bol-
landianorum vota, quorum Epi-
stola sollicitandi gratiâ Mss No-
stri de hoc argumento insertam
gallice in Monumentis Trebol-
tiani de anno 1729. asserunt
Authores Diarii litteratorum His-
paniæ tom. 5. pag. 202.

† 185 D. ANDREAS GOMEZ
DE MORA, Domicilio Mexicanus,
cujus Natio Patriaque incerta
nobis, Doctor in jure, atque in
Regio Mexicco Senatu Fisci Re-
gij Curator, edidit hispano ser-
mone

*Actionem contra D. Franciscum
quendam Turresum Excmo. D. D.
Joanni de Palafox, Pro-Regi ac Vi-
sitatori Mexicco oblatam.* Mexici
tacitis & anno & Typographi no-
mine. In folio. Habetur tom. 26.
Collectionis D. Ludovici de Men-
doza pag. 402.

† 186 FR. ANDREAS DE HER-
RERA, Natione Mexicanus, cu-
jus nos Patria fugit, Ordinis Bea-
tissimæ V. Mariæ de Mercede,
Redemptionis Captivorum Me-
xicæ Provinciæ in Sacra Theolo-
gia Magister, quam ut & Philo-

lo-

sophiam Sodales docuit, reliquit
Mss.

Cursum Philosophicum. Qui ex-
tat in Bibliotheca Primarij Me-
xici Cænobij ejusdem Regij &
Militaris Ordinis, atque in Indi-
ce librorum, qui ibidem servan-
tur, refertur ejusdem Authoris

Tractatus theologicus de peccatis.
† 187 F. ANDREAS A SANCTO
MICHAELE, Natione Mexicanus,
Angelopoli ortus est Parentibus
genere & virtute præclaris D.
Didaco Philippo de Mora, & D.
Maria de Cuellar, insigniumque
liberorum gloriâ illustrioribus,
quorum quatuor JESU Societa-
tem amplexati fuerunt; Noster nu-
dipedis se Carmelitis adjunxit;
alter Præbyter secularis & Juris
Doctor, Canonicatum, ut dicunt,
Doctorem promeruit Valliso-
leti Michoacanensium; & post
Dignitates inibi obtentas, Præ-
bendam in Metropoli Mexicana;
reliqui duo Matrimonio æquali-
bus sœminis juncti honestè vi-
xere: è filiabus, duæ itidem no-
bilibus datæ conjugibus, altera
monialibus Mexicani Monasterij
S. Laurentij addicta, mirum in
modum virtutibus elaruit, atque
ejus vita typis commissa multis
admirandisque scæter exemplis.

Noster sub optimâ disciplinâ pri-
mos ubi peregit annos, Latinitate
instructus & Philosophiâ, Theolo-
giam in Universitatè Mexicæ
audivit, cum ab alijs, tum etiam
à clarissimis viris D. D. Joanne de
Butron, Primario sacre Facultatis

Antecessore, & Isidoro de Sa-
riñana Sacrorum Bibliorum In-
terprete, post Episcopo Goaxa-
censi, quibus usum fuisse Magi-
stris gloriabatur jam senex, ut ab
ipso non semel accepimus. Nec
Theologiam dumtaxat excoluit,
sed etiam Jurisprudentiam, inge-
nio scilicet comparatus ad omnia,
& tempestivè dedito Minervæ la-
boribus. Laureis itaque Academicis
redimitus, Deo ipsum ad subli-
men vitæ statum vocanti respon-
dit, nudipedum Carmelitanorum
Institutum professus, quo in Or-
dine & perfectioris vitæ exem-
plis ita refulsit, ut Præfecturas
egerit in Monasterijs varijs etiam
Mexicano, quod Provinciæ cap-
ud est; & Magisterio positus
trinam Sodalibus Theologiam &
Cathedris dedit, Scholasticam,
Mysticam, & Biblicam, in qui-
bus & in Morali quoque insignis
erat.

† 188 Adhæc in Historia ec-
clesiastica satis doctus, Criticæ
peritus, & Poescos cultor egre-
gius, latinis æque ac hispanis
Musis admodum familiaris, nu-
mineque donatus prompto jux-
tâ & acuro: Præter Principes, &
clariores inter editos Poeticæ Au-
thores, & audierat & legerat in-
signes Mexicanos, quorum, ut
se dabat occasio, epigrammata re-
citabat, ut sæpe colloquentes au-
divimus; ut subinde dolcamus
vita cum excessisse priusquam de
Bibliothecâ nostra cogitaremus,
quam auctiorem credimus prodit-

li

tu-

turam, si viveret, multa priscorum scripta nostratum eo nobis suggerente, quæ modo nos latent. In concionando facillimus erat, pro multa qua pollebat eruditione, quam ingeniosè & ex artis præscripto adhibebat in præfixa sibi argumenta tornatasq; bellè orationes. Ex tempore etiam dicebat per inde quasi præmeditatò, acciditq; in Cathedrali Ecclesià Mexicè, ut casu tardante Sodali sui Ordinis Sermonem habituro coram Capitulo frequentissimàque coronà, ipse, qui aderat inter auditores, suggestum ascenderit sacrum, tamque scitè diceret & ad rem, quam à doctissimo sperari posset non imparato. Ob hæc, gestaque religiosè vitæ præclara Sapientibus & gravibus hominibus multo erat in pretio, ipsisque etiam Principibus, in primis autem Excellentissimo D. D. Ferdinando de Alencatre, Ducis de Linares, Novæ Hispaniæ Pro-Regi, qui cum viros disquireret coleretque eximios, Nostro addictissimum sese dedit. Obijt in Angelopolitano Conventu. Scripsit librum, quem Augustini de Mora, germani fratris nomine obiectum edidit, pro ut in ejus Censura opportune & discretè detexit vir amplissimus D. D. Joannes Ignarius de Castorena, postmodum Episcopus Jucatanensis, in quo libro & Funerem pompam in Metropolitano Templo Mexicco institutam iustis persolvendis Catholico Hispaniarum Regi Carolo II histo-

ricè aperit, & Poemata cum hispana, tum latina, quæ ipse honorario Tumulo ornando composuerat, datis symbolis, & incisus laminis explicat. Titulum autem hispano sermone operi hunc fecit. *Deficiens Sol. priusquam ad meridiem ascenderet.* Mexici, typis Joannis Josephi de Guillena Carrasco 1701. in quarto.

Aliam edidit narrationem historicam solennissimæ, quæ per dies octo habita est Mexici, pompa pro Sancto Joanne à Cruce, Carmelitarum Excalceatorum Patre, Sanctorum factis adscripto, quæ, quoniam cæpta est eximio Urbis gaudis, & gestantibus omnibus, decima quinta Januarij die, quæ quondam festissima, indeque toto Orbe notissima fuerat à tumultuante plebe; occasionem authori dedit opusculum sic inscribendi.

Secunda quinta decima Mexicana Januarij. Mexici, litteris Joannis Bernardi de Hogal 1730 in quarto.

Alter etiam ejusdem libelli *Sermones complexus varios,* editum est ab Amico D. Joanne Garciaarena de Icurica, qui Mss secum eos in Hispaniam asportaverat sibi commodatos, voluitque restituere typis commissos, Gardibus apud H. Christophori de Requena 1724. in quarto.

Alias iidem publicavit conciones, nempe *quatuor nominibus: Fatigatio & quies Christi in mulieris à Samaria conversione Principi*

christiano juxta ac politico in exemplum exhibita. Oratio habita in Regio Palatii Mexicani Sacello coram Pro-Rege & Regalibus Auditoribus, cæterisque curiæ Ministris. Mexici, Formis Michaelis de Ribera 1703. in quarto.

Gratiæ abyssus: Panegyris Sancti Francisci Assisi. Mexici, typis Viduæ Bernardi Calderon 1699. in quarto. Extat tom. 74. Collectionis nostræ.

Soluta melioris manus Abneris Exami. D. D. Ferdinandi de Alencastro Noroña & Silva, Ducis de Linares, Novæ Hispaniæ Pro-Regis. Funeris declamatio habita in ejusdem anniversaria parentatione in Conventu S. Sebastiani Carmelitarum Mexicaniensi.

Adjicitur *Descriptio honorarij tumuli ibidem erecti,* quam unaque ejusdem Poematiæ Author ipse disposuit. Mexici, apud Hæredes Viduæ Michaelis de Ribera 1718. in quarto. Habetur t. 27 Coll. nostræ.

Ponderator animarum egregius S. Michaelis Archangelus. Mexici, in Typographia Joannis Francisci de Ortega 1721. in quarto. Extat tom. 2. Collectionis nostræ.

Eximia succus sanctitatis, S. Teresa à Jesu. Mexici, in Officina Joannis Josephi de Guillena Carrasco 1720. in quarto. Legitur tom. eodem.

Graviora quidem, & numero plurima mansere opera Mss è quibus prætermitimus Theologicas Disputationes, suis è Cathedra Discipulis traditas,

quod ipsarum argumenta nos fugiant, itemque pulcherrima varij generis carmina latio & patrio concinnata sermonibus, commendantantes memoriam.

Duodecim Concionum tomos in quarto. Quos vidisse testatur unaque nobiscum Doctores alios, qui rusticabamur prope Cuyucanensem Villam, in Oppido Santangelano Carmelitarum insigni, in quo degente eo tempore Nostro qui cum familiariter agebamus, visendi & colloquendi cum gratiâ non semel convenientes, literariam scrutantes suppellectilem, in mox dictos libros incidimus, quos hinc inde curiosè illustratis, mirati fumus non tam optimos characteres & apices, quam nullibi castigationibus & literis notatos, cum tamen Authographi essent, fatente nobis ingenue Authore, numquam se usum adversarijs, aut transcriptionibus aliquando vacasse. Credimus asservari Codices in Angelopolitano Conventu ubi vivere desijt Noster. Placet adjicere è multis, quæ fudit, carminibus, visam ab amico *Vitam S. Mariæ Magdalene dimetris hispanicis æternis versibus assonis pulchrè conscripam.*

Et eodem idiomate *Conciones plures in obitu Mariæ Aloysiæ Hispaniarum Regine.*

189. B. ANDREAS A SANCTO MICHAELE, Natione Hispanus, Assedoniæ natus anno 1577. Domiciliu Mexicanos inter sibi constituit anno 1598. quo Angelo-

poli in Conventu nudipedum Carmelitarum Institutum amplexatus in statu Laicorum, omnium exemplis virtutum & Sodalibus & exteris profuit. His eximiam in Mathematicis peritiam disciplinis adjunxit, quæ juxta ac religiosis moribus admirandum se præstitit quoad vixit, scilicet annis 46 optimè in familiâ Beatissimæ Virginis de Môte Carmeli transactis. Abijt ad plures Salvaterræ anno 1644. Pro ea qua erat instructus doctrinâ Architecturæ, à Superioribus destinatus fuit, ut ædificandis sacris Ædibus ibidem pro Familia sua insisteret, remque ut ex arte fieret & operas ritè moderaretur. Egregia lucubrassè opera Authores sunt nobis qui *Historiam reformati Carmelitarum Ordinis* conscripserunt tom. 6. lib. 23. cap. 39. & P. Martialis à S. Joanne Baptista in Bibliothecâ Scriptorum ejusdem Ordinis nudipedum p. 17. penes quos habemus sequentia, quæ in Tabularijs servantur Angelopolitani Cœnobij.

De Architectura, in folio magno.

De modo exhauriendi subterraneos latites.

De motu Cælorum.

De Merito Beatissimæ Virginis Mariæ mathematicè comprobato.

190 F. ANDREAS MOGUER, Natione Hispanus, inter Bæricos in Oppido à quo accepit cognomen, lucem aspexit, genitus à Parentibus minimè obscuris, à quibus christianè educatus, Sal-

manticam missus est studiorum causâ. Ubi Grammaticæ operam dedit in Academia, Conventum S. Stephani Dominicanorum insignem adivit, Ordiniq; eidem votis adscriptus, Philosophiam & Theologiam coluit egregio fructu. Quod verò multa virtutum specimina daret, aptusque natus juvandis proximis videretur, à Superioribus in montana haud multum distita missus, ut rusticos incolas doctrinam christianam doceret, libens & pedes cum socio, emendicato victu, eo functus est munere, cuj velitatione quadam Apostolici quod apud Americanos non multò post erat obitus officij. Nam zelo divinæ amplificandæ gloriæ ductus, illectus quæ observantiâ Mexicanæ Ordinis sui Provinciæ, cujus nomen celebre jam erat Europæ, anno 1535. comitem se dedit Fratribus eam petentibus cum Patre Dominico de Betanzos. Mexici constitutus, gentisque donatus idiomate, cui addiscendo strenuam dedit operam, majorem ut posuit regulari disciplinâ ad unguem servandâ, Deoque inserviendi diligentissimè, dignum se præstitit, qui præcipua regeret Cœnobia, Deffinitorque Provinciæ fuerit electus, & demum Provincialis 8 Septembris anno 1550. Ad hæc Præsentatis, ut dicunt, adscriptus pro meritis, & à primo Novæ Hispaniæ Pro-Rege D. Antonio de Mendoza à sacris Confessionibus allectus, &

S. Inquisitionis Censor destinatus, omnibus isthæc numeris explevit officia, Deum semper præ oculis habens, uti in ipsum omnia dirigeret. *191* Mexicano, Angelopolitano, & Goaxacensi Cœnobijs, quæ deinceps trium capita Provinciarum nobilissima fuere, tunc cum Mexicanæ S. Jacobi subiciebantur Prior datus, nullum non movit lapidem, ut ab ea quæ florebant observantiâ & austeritate mirabili, deficerent minimè, clariora imò illustrioraq; evaderent. Canonicis diurnis juxta nocturnisque horis persolvendis in choro aderat, semper in eam curam intentus, ut devotissimè dicerentur, cantuque ad sui Ordinis constituta accommodatissimo, libris optime ad incrementum paratis, numeroque multis, qui pluteo in singulis choris dictorum mox Conventuum ornatum essent & usui, Perpetuum otio bellum indixit, se nunquam à labore feriari passus, aut suos à præscriptis operibus, quorum transgressionem, prudenter licet, non sinebat inultam. Orationi, quam dicunt mentalem, quatuor singulis diebus horas destinatas habebat, quæ celestia attentissimè meditabatur. Jejunium exactissimè ad Ordinis regulas, imò supra ipsas servabat, somnum breve admodum capiebat, nunquam illud non rumpens ut media nocte precibus matutinis adesset, adeo ut cum Provincialis esset,

& longè distitos Conventus visitaret, chorum tamen media peteret nocte sacras cum socijs preces dicturus, lassitudine ex itinere molestissimo detentus neutrquam, quod pedes semper agebat, totos quinquaginta annos non usus equo vel rheda, quamvis plurima in Hispania & America, istiusque difficillima loca perambulavit.

192 His in Deum officijs pietatis plurima in proximis adjungebat, frequentissimis concionibus ad populum habitis, auditisque confessionibus, sive Hispanorum, sive Indorum, quos inter libentius versabatur, & quibus multo tempore sacra jussu Superiorum administravit. Diligebat ipsos tenerrimè, & non modo christianis imbuendos disciplinis suscipiebat, sed comitem se dabat & ducem in via perfectionis, per quam eorum multos deduxit. Injurias facile eis illatas à potentibus, nitebatur propullare, Sodalesque ad similia miseris ferendum subsidia scriptis hortabatur & voce. Qua erat apud omnes, in primis autem apud Pro-Regem existimatione, pro Dei gloria in hominum salute utebatur, quamvis id non nullorum invidiam moverit, qui insidias ei propterea perstruxerint, ut & bono detraherent nomini, & gratia ipsum Principis, imò & ipsius Dei spoliarent. Quod enim Authore Andrea Pro-Regem à se postulat

ris obstitisse intelligerent, qui iniqua ausi petere fuerant, conjuncta ipsis sanguine femina, nobili infimul & impudentissima persuaserunt, illius ruinam ut moliretur. Simulavit agram se expiari sacra confessione velle, quam ut exciperet vocavit Andream, quem accedentem, & sine restibus, quod & Socius & domestici recessissent, è lecto, in quo decubebat, fucatilimis advenerem provocavit illecebris. Ex horruit quidem ille his auditis, qui eximie semper castitatem coluerat, multisque facinus detectatus, ut ipsam delicti pœniteret conatus est; at ut insultare vasserimam vidit, admirandum in modum eludit hanc, per inde quasi liplanothecam Socio traditurus, ne Dei in se iram excitaret, si minus religiose sacra haberet, egrediensque è cubiculo, è domo etiam aufugit, Deo, qui victoriam concesserat, grates referens multas, adversarijs ipsis mirantibus, remque, ut fit, amicis secreto dicentibus, ut sub inde paulatim ad plurimos noticia deveniret, Nolterque longè illustrior evaserit.

193 Porro tot inter virtutes charitas hominis eminebat, qua Angelopolim ductus, Indis Cœnobio suo conceditis, seu Parochia, in ultima licet constitutus atate, diligentissimè ministrabat. Vertebarur annus 1576. à sævissimâ peste Indos devastante infaultus, nigroque signatus lapi-

llo, atque conjuncta languori eximâ quidem ægrotantium fame, nec minori rerum inopiâ, mirum fuit quanta pro eorum auxilio ille egerit. Paupertatis amator bonis orbarus reliquis, libros tantum Superiorum licentia pro suo & statu & usu, ut habebat, omnibus valedixit, venditisque, pretium in alendos miseros posuit. Mane casas eorum & mappalia circumire incipiebat, totumque ad noctem usque, hinc inde discurrendo, diem jejunos transibat, paratos eisdem cibos operâ suâ, distribuens, confessiones excipiens, agros sacra inungens unctione, ceterisque misericordiae operibus curans. Cum verò Angelopoli lues cesasset, & in Mexicanis confinijis laius serpsisset, Azcapuzalcam petijt, similibus agros officijs curaturus, tanto quidem labore, ut morbum ipse alium contraxerit, tam illum gravem, ut qui necius fuerat cedere multis, huic demum cesserit, & permiserit in Conventum deferri Mexicanum, in quo sacris munitus omnibus, diem clausit extremum, suis & Urbi mœstiam, posteris autem nomen æternâ dignum laude relinquens, & digna cedro opera scripta, quorum aliqua Dominicanorum Bibliotheca novissima PP. Echard, & Quetif tom. 2. ad annum 1576. pag. 236. recenset ex Nostrò Davila Padilla Andrea acta lato calamo conscribente in Historiâ Provinciæ Mexicanæ à cap.

83. pag. 262. & sequentibus. Sunt autem illa hispano sermone. *Historia S. Dominici Provinciæ Mexicanæ.*

Sermones de Tempore & de Sanctis duobus tomis.

Liber Exemplorum.
Præter hæc asservantur alia in Bibliotheca primarij Conventus Goaxacensis Ordinis Prædicatorum, quæ ab eisdem accepimus PP. subnoctimusque, majore etiâ luce donatis quæ mox dedimus, opera.

Scilicet *tomus unus in quarto ejusdem Authoris manu notisque brevitate causa multis conscriptus 400 folijs constans, in quibus tercentum Sermones breves de Adventu, Quadragesima, Mysterijs & Sanctis: item que 34. Exhortationes diversi argumenti inveniuntur.*

Tomus alter etiam in quarto folijs ad calcem mutilus pluribus, *Lectiones complectitur breves, veluti succum operum S. Gregorij Magni in Ezechielem, Jobum, atque in Libros Regum, item Epistolarum è duobus primis libris ejusdem Gregorij.* Folia hic tomus habet supra tercenta septuaginta novem minutissimi caracteris. Ex his quæ Author ipse in Proœmio mox dicti tomi scribit, habemus ab ipso alia itidem lucubrata, nempe

Decem aut undecim Codices. Pro Noviorum eruditione duos, quorum unum inquit, stare Mexici, Angelopoli alterum, propriâ conscriptum manu. Accedit alter Epistolarum ad Superiores Provinciæ suæ,

aliqua antiqua afferens monumenta pro juvandis in omnibus miseris Indis. Post hæc adjicit *Lectiones* quas diximus *Gregorianas*, & folio 303. notat illuc usq̃ scriptis finem imposuisse 15 Maji 1567. Tandem annectit *Epistolas ad viros destinationis egregios*, usque ad folium 379. eruditione gravitateque divites.

Meminerunt Andrea, præter citatos, Antonius de Leon Pincelo in Bibliotheca sua addita tom. 2. col. 715. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hispaniæ Novæ, Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. lib. 15. cap. 17. p. nobis 41.

194 D. ANDREAS MORENO BALA, Natione Mexicanus, nobilibus Mexici Parentibus genitus, atque honestè educatus, latinis instructus litteris, & in Collegio Maximo Societatis JESU Mexico Philosophicis, laureâque Academicâ in Universitate redimitus, Jurisprudentiæ professoribus se adscripsit, & Scholæ cursus ac tentamina exegit multa inde donatus eruditione, laudeque conspicuus, ut subinde & in Foro Mexicanensi Caularum Patronus renunciatus fuerit, & in Academico Doctor in Jure Canonico constitutus, & in Ecclesiastico Archiepiscopatus pro ejusdem Fisco tuendo Promotor dictus. Hoc egregiè functum munere fuisse argumento est, in tanta candidatorum multitudine, Sedeque Mexicanâ, & plenâ V. D. D. Francisco de Aguiar & Sci-

xas ipsam tenente, & eo mortuo vacante, & iterum, suscepto D. D. Joanne de Ortega Montañez, plenâ; ab officio remotum minime, atque Superioribus dictis & Republicâ perplacuisse. Certe mansuetudini insitâ sibi zelum ita junxerat & prudentiam, ut intricata quæque facili negotio componeret, gratus subinde non modo ecclesiasticis Principibus, sed etiam Pro-Regibus, qui eorum etiam operâ uti amabant. In Jucatanensem Provinciam à Metropolitano delegatus, ut causas ibi pendentes admodum arduas in gradu, ut forenses dicunt, *Appellationis* absolveret, itinere terrâ marique peracto, illas omnium plausu expedivit, reversusque ad propria, iterum Angelopolim missus Sedis Apostolicæ Delegatus in negotio insignis S. Ludovici PP. Dominicanorum Collegij, muneri satis fecit citra offensionem: nec aliter & Mexici & extra commissa sibi alia munera explevit. Dein, quod & in Universitate pro Cathedris petendis egerit candidatum, & in Ecclesiâ Mexicanâ pro Canonicatibus & Parochijs, regendisque animabus à litteris & exemplis visus fuerit aptissimus, Curio designatus est ditioni de Tenango, quam plures annos Pastoris diligenter obitis munij administravit, quo usque ibidem è vivis decellit. Scripsit quidem multas & doctas pro suo munere juris Allegationes, è quibus typis datam invenimus.

Defensionem pro Josepho de Lombeida in folio, tacitis anno & Typographo, ut in his fieri tunc usque solebat.

195 FR. ANDREAS DE OLMOS, Natione Hispanus, prope Occaniam inter Burgenses pijs & honestis Parentibus natus, primis transactis annis intra eorundem lares, adultior factus, Olmos dictum locum prope Vallisoletum, unde ipsi cognomen inditum, in Sororis conjugatâ domum transivit, atque studijs se dedit Jurisprudentiæ ad annum usque ætatis vigesimum, quo valedicere Mundo secum constituit, Deoque famulari in Ordine Minorum. Itaque Franciscanis adscriptus in Conventu Pinciano Provinciæ Conceptionis, virtutem, quam semper coluerat, impensus excoluit, ipsi devotus & sacris litteris addiscendis. Cœnobio per id tempus del Abrojo nuncupato præerat P. Joannes de Zumarraga, vir litteris & religiosis exemplis oppido clarus & insignis, destinatusque à Quæstoribus Fidei, Carolo V. Cæsare unâque Catholico Rege insinuante, pro veneficis sagisque à Cantabriæ finibus propulandis, socium sibi Nostrum in id negotij delegit; cùmque mox ab eodem nominatus Carolo fuerit Episcopus pro Mexicanensibus nuper detectis ac subjugatis, soldalem iridem ipse Andream sibi voluit in eas regiones, qui trahendis in caulam Domini innum-

meris ovibus eterno præparatus fuerat consilio.

196 Ex quò, anno 1528. Noster Mexicum petijt, virum æcturus Apostolis quam simillimû, se ad labores exantlandos durissimos comparavit, & quòd vix Evangelij semen jaci in vastissimis Regnis cœperat, asperiora quæ & longissimè distita, nullo prædicationis lumine essent donata, ea sibi peragranda imperterritus sumpsit. Prius autem quam operi se accingeret, Linguis potioribus latiusque in Provincias estusis instrui decrevit, & certè, Deo ejus annuente votis, quinque non minus exactissimè calluit, quas Torquemada censet, scilicet, *Mexicanam, Totonacam, Tepehuanam, & Guaxtelcam* (quamvis Betancurtius præterierit tertiam) ad eò ut libros infra indicandos tribus usus conscripserit. Interea verò atque hæc sibi parabat subsidia, multis se in Proximorum bonum addixit laboribus, quos inter meritò computandus Lectoris, quod gessit munus, Latinitatis in Collegio Imperiali de Tlatelolco à Sancta Cruce nominato, pro Indis erudiendis, magno quidem fructu, constructo. His præmunirus armis, in primisque eximio amplificandæ gloriæ Dei zelo, & Indorum salutis promovendæ, mirum est quot terras, pedes semper, inambulaverit, inaccessa montana subierit, valles amplissimas fuerit cœnusus, fluvios tranave-

rit, antra transilierit & inhospita tescua. Ad hæc, non carnem aut triticeum panem, non vinum & nobiles cibos, aut deferrebat secum, aut mendicabat, cùm ea quidem tempestate, & etiamnum in remotissimis illis vijs & locis lautitias cogitare quidem possis, invenire etiâ decumano pretio non possis. Insuper, climata in his sæpe varia offendebat, Sole valdè propinquo adusta, animalculis plena molestissimis, multisque alijs resecta incommodis. Nullum tamen gravius aut periculosius gente illa, *Chichimecas* vocant, penitus barbarâ, Thraciæ, & quavis aliâ feroci meritò comparanda. Quamquam enim infamibus hisce notis inurendæ minime sint Mexicani, Tlascalenses, Michoacanenses, & multorum aliorum Indi Regnorum, qui superstitioni licet deditissimi, ut Romani quondam & Nationes multæ aliæ, humanasque simulacris suis hostias mactaverint, ceterâ instructi erant artibus, & moribus donati politicis, haud ita remotissimi homines illi, istis etiam insensu, qui veluti à futijs aut bestijs oriundi nulla contineri causa, nullis claudi penatibus, nulli nisi ferino depacti cibo amant, arcu perpetuò & sagittis armati, ut exterum quemque configant.

197 Noster tamen hæc virtus neutiquam, regiones adivit, ceu belluarum latibula, circum oras maritimas, Panucum, Tam-

picum, & Floridae confinia, plurquam quadringentas leucas à Mexico distantia: cicutare Barbaros omnibus curavit officijs, ipsosque & humanitatem docere & Evangelium, Dei protectus favore, quo sine brevi de ipso actum fuisset. Multoties sagittis in eum jacularis, in sagittarios recidentibus, eorum ipse bono servatus, Christo illos dein lucrifecit. Ignita quandoque in ædiculam à se è palca constructam pro sacris agendis, malo dæmone instigante, jacula Indi miserè, ut flammam fugientem confoderent; quin propterea aut domuncula conflagraret, aut ipse mali quid patretur: quæc obsupentes se illi dedere, audiendæque, quam prædicabat, Fidei. Certè ex illis multos, & ex alijs plurimos Jesu-Christo filios genuit per Evangelium, quos pascere modis omnibus satagebat: in quem finem septem varijs atque inter se dissitis in terris Conventus, ut ut res ferebant, construxit. Tanta certè Barbaros admiratio viso eo auditoque, & quæ diximus portenta, ceperat, ut è longinquis montibus & silvis quadraginta circum leucis venientes, monita salutis exciperent & sacrum lavacrum, magno habentes in honore Dei servum, adeo ut, eo vitâ jam functo, Religiosum quemque Franciscanum videntes, se illi, positis sagittis, submitterent, interea dicentes, Andreas, perinde quasi hujus ipsos nomen recrearet, cogeretque m-

suescere. In Rempublicam coactis doctisque cum pietate humanitatem, gratior erat in dies, christiana inculcans, Sacramenta ministrans, & omnibus omnia factus.

198 Mexicum deductum ut Provincialibus adesset Comitijs, tenere eum in Urbe Fratres cogitabant, miserti hominis ægra valetudine afflicti ob assiduos labores & climatum intemperies, quæc tamen ipse obstiit, solenne sibi & frequenter repetitum intonans apothegma: *Progrediamur cum Cruce*. Interea peragi curavit in frequentissimâ hominum multitudine confluentium ad Primariam Mexicanorum Parochiam à S. Josepho nuncupatam, coram Pro-Rege D. D. Antonio de Mendoza, & Episcopo D. D. Fr. Joanne de Zumarraga Comædiam sacram, quæ postremi Judicij diem graphicè à Prophetis & PP. delineatam ob oculos poneret, eximio quidem adstantium fructu, qui salutari perciti horrore, abstinere à vitijs, & virtutem sectari sibi metipsis facile persuasere. Nec diu ipsi subsistere Mexici licuit asperrima cogitanti aquilonis loca *Chichimecarum*, imò verò statim ea petenti, quòd infasti venientes inde nuntij firmarent, illos rebellasse in Hispanos, resque propterea omnes præsentissimo esse in discrimine. Nil cunctatus Andreas, infirmitatibus præpeditus iter arripuit, quo usque Indos transfugas & in montibus obfirmatos conven-

nit, & ferventissimâ monitos oratione reduxit, atque ad pristinam cum Hispanis amicitiam attraxit. Nempe, Deo ipsi opitulante, ardua quæque vincebat, egregijs virtutum exercitijs semper intentus, & cælestibus donis cumulatus. Nam multis fuisse ornatum eximijs, inconfesso fuit omnibus acta viri noscentibus.

199 Præter linguarum peritiam, sapientiam, & scientiam, prophetico quædam lumine vidit atque prædixit, scilicet, nepoti cuidam eventura perinde narravit & flevit coram Socio, ut deinceps visa sunt contigisse, & ægroti confessionem excipiens, se quoque post horam eum morientem sequuturum edixit, vaticinio statim implero. Atque, ut alia præcreamus, bono collocare in lumine oportet illud, quod cum esset in Tampico, mortem suam coram multis palam denuntians, repente lux globi instar igniti circum ipsum ambivit. Ubi verò extremum sibi diem instare cognovit, vomica ipsum jam diu malè torquente, convocatis familiaribus domus, in qua degebat hospitio acceptus, gratitudinis ergo suppellectilem omnem suam illis divisit, coronam piacularem, grana quædam benedicta, flagella & cilicium, quibus macerari consueverat, pronuntiansque Symbolum Fidei, animam Deo reddidit 8. Augusti, si Martyrologio standum Franciscano; si Torquemadam

verò sequamur, 8. Octobris anno 1571. quadraginta tribus in Apostolico munere sanctissimè collocatis. Illico vultus ejus splenduit, adstantesque miro recreati odore fuere, qui nuper putidum vix ferre apothema potuerant: audita fuit cælestis harmonia, quæ multis per annos die obitus Servi Dei recurrente percipi solita, multos in sepulchrum ejus, devotionis, alios curiositatis gratiâ trahebat.

200 Fuerant non nulli qui viventî Andream detrahentes, Dei in ipsos provocarent iram, quorum unus, eo defuncto, facti poenitens in cadaverem provolutus, ejus pedes deosculabatur, lachrymisque & suspirijs veniam petebat, Sanctum plenis buccis epellans hominem, & insuper palinodiam recantans, publico instrumento exarato; qui tamen pro Dei in ipsum misericordiâ penas in hac vita luiturus, passus est cancrum, labia, quibus in Dei servum fuerat abusus, corrodentem & vultum, quo purgatus morbo, ad similes destinata Mexici Domo, obiit. Alter verò, qui Andream nomini propterea obtrectaverat, quòd ejus ferre monita salutaria nolebat, atque in malo perstitit obstinatus, ad extremum deveniens, expiari sacra confessione non potuit, etiâ præsentibus Sacerdotibus, pessimâ peccatorum morte post seum contagiosam mulctatus. Alia legenda dimittimus volenti Lecto-

ri apud Torquemadam in Monarchia Indica tom. 3. lib. 20. à cap. 40. pag. 472. & Betancurtium in Menologio pag. 83. die 8. Augusti, qui scripta ejus sequentia referunt.

Artem Linguae Mexicanae,

Quam admodum singularem & eruditam nuncupat Torquemada, sequè ea usum pro idiomate funditus addiscendo & Religiosis tradendo.

Dictionarium Linguae Mexicanae.

Judicium extremum Linguam propositum Mexicanam, seu sacra ejus argumenti comedia.

Documenta à Mexicanensibus Dominis suis filijs exhibita.

Quem forte Tractatum indicare voluit Nicolaus Antonius Nostro adjudicans *Problemata quaedam doctissima eadem Mexicanam Linguam.*

Librum de septem sermonibus eodem idiomate.

Tractatum de septem peccatis capitalibus ex eis natis, eodem idiomate.

Tractatum de Sacrilegijs, eodem sermone.

Scimus eorum aliqua à Nicolao Antonio aliter tradita, cui ramentum refragatur auctoritate Torquemadae praemanibus omnia habentis, atque pro dignitate expendentis. Praeterea Noster composuit

Artem pro addiscenda Linguam Guaxtecã.

Dictionarium Linguae Guaxtecae.

Doctrinam Christianam eadem Linguam.

Methodum pro Confessione sacra eodem idiomate.

Sermones varios, Linguam eadem Guaxtecã.

Artem adipiscendi Linguam Toltonacã.

Dictionarium ejusdem Linguae.

His operibus Americanis Linguis compositis, adjunxit hispano alia sermone,

Librum de Haeresibus à P. Fr. Alonso de Castro conscriptum latine, hispanis translatum carminibus, multo, ut Torquemada loquitur, artificio, eruditione, doctrinam & curiositate.

Duas insignium Rabbiorum Epistolae (quarum una inserta habetur inter Theologia S. Antonini de Florentia) hispanè conversas.

Praeterea conscripserit Opuscula alia quorum argumenta non explicant, testantur Torquemada & Betancurtius, quibus Opusculis meritò addendum venit ab Antonio de Leon Pinelo in Bibliotheca sua Occidentali col. 711. Editionis Madritanae novissimae relatus

Tractatus de Antiquitatibus Novae Hispaniae.

Meminerunt Nostri, praeter jam dictos, Uvadingus, Arcturus in Martyrologio Franciscano, Fernandez Dominicanus in Historia Ecclesiae nostrae temporis lib. 1. cap. 17. pag. 65. Avaria in Orbe terrarum Scriptorum ca-

lamo delineato, verbo *Mexicus*, Franciscus Gonzaga, Antonius Daza in Historia Ordinis Minorum, & ejusdem Ordinis Bibliotheca tom. 1. pag. 68. & tom. 3. in Apendice, ubi haec habet: *In Ecclesia Tolonacã Bibliotheca, pluteo 17. n. 7. extat hujus Andreae Ars, & Vocabularium Mexicanum Mss. ac editum Mexici anno 1555. in quarto, vidi. Addimus, & nos vidisse in Bibliotheca Convencus Franciscanorum de Tlanepantla Authographum hujus Artis Mexicanensis Linguae in quarto, & ad calcem Colloquia Mexicani parentis filium suum ut virtutem sectetur hortantis: Colophonis loco haec hispano sermone leguntur: *Esta Arte fue echada en el Monasterio de Sant. Andres de Uvitalpalm, à gloria de Nuestro Señor Jesu Christo año de su nacimiento 1547. Nempè: Ars ista facta fuit in Monasterio Santandreaño de Uvitalpalm ad gloriam Jesu Christi Domini nostri anno ab ejus natiuitate 1547.* Forte is quem vidimus liber ipse est, quem penes se habuisse testatur Betancurtius, qui de Guaxtecã Linguam conscriptis asseverat stare in Opido Ozoloma dicto, apud Tampicum, Bibliothecae consutos operam, ut à testibus ocularis acceperat. Ita ille in de illustribus Provinciae suae Scriptoris pag. 138. num. 96.*

201. D. ANDREAS DE ORTEGA VALDIVIA, Mexicanus saltem Domicilio (quoniam Natio ejus & Patria nos praeterit) flo-

ruit apud Michoacanenses, Doctoris gradu insignitus, & in Ecclesia Vallisoleana dignitate Catoris ornatus, S. Inquisitionis Commissarius, & pro Cruciatæ expeditione subdelegatus, dignus majoris premij, ut inquit Aegidius Gonzalez Davila in Theatro illius Ecclesiae pag. 135. Ipso referente, composuit vernaculo sermone

Descriptionem actorum Illmi. D. D. Fr. Marci Ramirez de Prado Episcopi Michoacanensis, & illustrium ejusdem Ecclesiae Virorum.

202. P. ANDRES PEREZ DE RIBAS, Natione Hispanus, Cordubæ natus anno 1576. postquam Sacerdotio initiatus fuerat, Institutum JESU Societatis amplexatus anno 1602. ut scribit P. Ribadeneira in Bibliotheca sua, nondum absoluto tyrocinio in oras appulit Mexicanas, Provinciam Familiae suae in Nova Hispania florentissimam petens, ut Sodales in salutis Indorum negotio iuvaret. Et sanè sua Deus vota ex animo edita cumulat, quod in longinquas dimissus Orbis novae Nationes, à Mexicanis multis distitas parasangijs, 16. annos in barbaris edocendis Fidem & Pietatem christianam posuerit. Dein Praefecturas egit, subditis acceptissimus, tum Collegij Maximi Mexicani, tum Domus Professae, tum etiam universae Provinciae, à qua Romani Procuratoris titulo fuit delegatus. Coaluit eo tempore Congregatio Generalis octava Soc-

cietatis, cui ipse interfuit cum Jure suffragij. Mexicum reperens iterum Professorum Domui Præpositus, pristinos redorsus labores pro Dei gloria & animarum lucris, ad mortem usque illis incubuit, quam propè octogenarius oppetiit die 26. Martij 1655. Edidit hispano sermone

Epistolam de morte & virtutibus P. Joannis de Ledesma, qui obiit Mexici anno 1636. Mexici anno eodem in quarto.

Historiam de Triumphis S. Fidei inter gentes barbaras Mexicani orbis per Missiones PP. Societatis Jesu. Item Superstitionum, Portuum, Climatium, & variorum que ibi evenere. Matrili, apud Alphonsum de Paredes 1645. in folio.

His à Bibliotheca Societatis adductis, itemque à D. Nicolao Antonio in Bibliotheca Hispana (qui duos ex Nostro uno facit Andreas) subjungimus Mss quæ ipsos in tanta distantia latuerunt.

Historia Societatis Jesu in Provincia Nova Hispania.

Hanc citat P. Florencia eum in Historia à se composita & edita ejusdem Provincia pag. 138. n. 144. tum in *Origine de insignibus nova Gallie Sanctuarijs*, si gnatim pag. 65.

Æstimatio æterna Beatorum gloria, ad quam Deus hominem destinavit, quam que ipsi crucis sui pretiosi effusione emitt. Extat idiomate hispano in quarto in Bibliotheca Collegij Maximi Mexicani SS. AA. Petri & Pauli.

Meminit etiam Nostri Egidius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Nova Cantabrie p. 243. Itemque Antonius de León Pinelo in Bibliotheca Occidentali addita, qui & si cognomen de Ribas prætereat, opinamur, Nostrium & non alium indicare, dum col. 151. P. Andream Perez recenset Authorem duplicis alterius opusculi, hispanicè editi in folio, scilicet,

Responsi ad Proposita V. D. D. Joannis de Palafox, de redditibus Collegiorum Mexici & Angelopolitani Societatis Jesu.

Columna vero 808 Mss. A qui in Bibliotheca Barciense asservatur Mantuæ Carpentanorum, etiam hispanicè

Responsorum ad varia de rebus Indiarum quas sibi facta à Joanne Diaz de la Calle, cum aliquibus monitijs.

Nam Chronologiâ inspectâ temporum, quibus & Noster in Europam profectus est, & Joannes Diaz de la Calle sua elucebrabat Indica Monumenta, & negotium verte batur reddituum Collegiorum Societatis JESU, rectâ traiectione isthac à Nostro opella fuisse scripta conficitur.

Demum P. Joseph Cassani in de Glorijæ secundi Societatis Jesu seculi, seu de Illustribus ejusdem viris tom. 2. qui ordine ad Eusebianos 8 est, in vita P. Thomæ Basiliij, Nostri memoriam habet pp. 452 & 453.

ILLMUS. D. D. F. AN-

DREAS QUILES GALINDO, Natione Mexicanus, in Provincia de Zelaya, Diœcesis Michoacensis nobilissimis genitoribus ortus, pro imbibendis litteris in Mexicâ Universitate ejusque Collegijs, violacè apud Regium & Antiquius S. Ildesonsi trabecâ insignitus, inde Gymnasia Maximi SS. AA. Petri & Pauli Societatis JESU, Academiæque nostræ frequentavit, à quibus Latinitate doctus atque Rhetoricâ, Philosophiam postquam & Theologiam excoluit, laureas retulit minervales haud pœnitendis eruditionis fructibus. In Patriam reversus, Seraphici Ordinis alumnis adscribi discipiens, voti compos effectus est in Provincia Michoacanensi, quæ à SS. AA. Petro & Paulo cognominatur. Ubi religiosa nuncupaverat vota, ita moribus & doctrinâ probari Superioribus & Sodalibus perrexit, ut opportuno jussu tempore fuerit Palæstram inire, instituereque & Philosophicis & Theosophicis disciplinis tyrones, Cathedris utriusque Facultatis præpositus, quas totis animis 15. strenuè moderatus est, atque inde honestissimâ donatus millione, Emeriti Lectoris privilegia retulit & honores. Alijs in Familia clarus muneribus, & apud Mexicum Fidei Confistorium à Censuris Theologicis destinatus, in Europam Pro-Minister Provincialis à Michoacanensi mox dictâ dimittitur, curæque suæ & in agendis

rebus peritæ negotia mandantur, ceu Indicarum Provinciarum Generali Procuratori, quibus industriè & sapienter tractatis, nomen sibi comparavit egregium. A Catholico Hispaniarum Rege Consiliarios inter adscriptos suos, unâque Pontifex Nicaraguensis Ecclesiæ Americæ nostræ electus, hanc itidem aggressus Provinciam strenuè, pastoralis se officio mancipavit. Porrò vastissima loci distantia, infrequensque commercium, ejus in Episcopatu actorum nos destituit notitia, quæ subinde, inviti licet, necesse est prætereamus. Edidit hispano sermone

Apologiam pro conservatione Apostolici Collegij Urbis Queretarensis. Matrili, in folio anno 1714. cujus meminit Bibliotheca Franciscana tom. 3. inter Appendices littera A.

Eadem linguâ publicavit *Absolutam Descriptionem Provinciarum, Climatium, Montium, Fluviorum, Portuum, ac Littorum Nova Hispania Excmo. Comiti de Frigiliana Regi Indiarum Consilij Præsidi nuncupatam.* Anno 1707. in quarto. Quam & si dicta Bibliotheca tacito loco & anno editionis prodijse in lucem dixerit, Pinelus tamen in Bibliotheca Occidentali col. 772. annum 1707. designat.

His addimus *Supplicem libellum ab Authore Regio Consilio oblatum de earum negotio Parochiarum Jucatanensium, quas Ordinis Sodales Franciscani te-*